

# DE SANCTO IVONE.

Pauperum Patrono.

ORATIO

Habita in eiusdem Templo


Ad Em. S.R.E. Card.

A Saluatore Guasparino
Lucensi Sem. Rom.
Cler.

ROMAE, Typis HH. Corbelletti.

Sup. permissu.


1654



EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

# PRINCIPI
# MARCO ANTONIO
## FRANCIOTTO
### S. R. E. CARD.

*SALVATOR GVASPARINVS F.*



VONIANAM hanc tibi, (Eminentiſs. P.) ſiſto Orationem, tenuem quaſi notam ingentium beneficiorum, quibus tibi ſummopere adſtringor; luſorum ſcilicet more, qui calculo pretium imponunt, deficientium nummorum vicario. Nec laboro, vt tam exiguo munere, ſupinus ille obſeruantiæ meæ torpor apud te videatur excitari, ſterile fateor obſequium; ſed aurum, non ideo quia plerumque iners in ærario iacet, minoris ferro ducitur, quod vbique officioſè famulatur. Vt igitur ſo-

 les,

lés, quidquid hoc ſit, humaniter intuere; & licet hoc non ſit munus, quod magnificè ſonet, nec ſit victima liuoris dentibus ſaginata, quidquid tamen opus erit reuerentię tuum illi nomen conciliabit. Haud aliter enim tuo ſedebit in ſinu, quam ſi foueretur gremio fœlicitatis; Vale.



# ORATIO



NESCIO quid altum semper spirat Em. PP. humani fastus ingenij; fęlicitatis enim editus puerperio, Deum ipsum auctorem numerat inter Auos, ideoque tumet Diuini generositate natalis. Et vnde nam, nisi ex hoc fonte, indoli humanæ spiritus tam sublimis? vnde confidentissima illa votorum arrogantia, qua, dum se se inspicit, & vires suas Auctoris immensitate metitur, nescit ambire moderata, & quasi pudet infra Diuinitatem sperare. Humanis tamen mentibus prouido insistendum consilio, ne Cęlestis originis laudem quæramus ijs, quæ fumum, strepitumque superbiæ, aut sordidam sapiant Auaritiam. Quod si nemo, vt ille ait, cum Deum inuocat, victoré, aut triumphatorem, Scithicum, aut Germanicum, sed amantem hominum, & seruatorem appellat: quid nos inepte superbi, Diuinum genus, nunc in turgida ambitionis impudentia, nũc in superbo deliciarum luxu, aut in insania furoris ostentamus? Cum ergo nihil magis Deo conueniat, quam, reparationi miseriarum, intercedere calamitatibus inopum: ego quoque, in Iuonis Viri Sanctissimi exemplo contendo, non alia ratione magis, quam suscepto Pauperum patrocinio, homines æmulari Diuinitatem.

Mirũ quidem est quantũ curæ fuerit rerũ omniũ Moderatori, & Parẽti, pauperrimæ nuditatis patrociniũ. Et vnde nã generis atauum nostri Adam, in illa pueritia naturæ, ferarũ immanitas, & elementorum dissidia coluere? nisi quia in ipsius innocenti nuditate, Numinis patrocinantis manu frenata, osculis quoque, & libera seruitute, inopem illum Regnatorem venerabantur. Nuda enim paupertas cælestis quædam est purpura, qua si genus humanum se se confidenter inuolueret, quam sæpè fatorum vis, suspenso furore, nos, maiestatemque Tutoris officiosa præteriret; nec tam audacter, mucrones suos, nostro admouerent iugulo calamitates. Miramur priscis illis mon-

tium

tium Ciuibus,nunc vrſos obſequium innocentis hoſpitij, lupos excubias, tigres præſtitiſſe ſatellitium?Nunc ſuppoſuiſſe terga ſedentibus hyænas, & ſtrauiſſe leones quieſcentibus iubam? Miramur colubros, Pauli,aliorumq; nudo pede compreſſos,innocenter ſuſtinuiſſe calcantes? At virulenti viperarum morſus, & vorax ferarum fames non inuadit nuditatem. Omnia etenim monſtra iubentur è Cęlo obſequi,& humanitatem, ne dum ſeruitium ijs exhibere, qui ſuæ dignitatis, & promeriti obſequij iura pręſeferunt,innocentiam ſcilicet,& paupertatem. Tantæ Vicarius prouinciæ, miſerorum nempe præſidio, IVO Săctiſſimus Numinis nutu ſucceſſit.Quid hic,vt ego Iuoniani patrocinij miracula in arctum cogam, iubetis? Teſtor quotquot ante me in hac tam ſplendida Panegiri perorarunt. Et cuinam fuit ea artis peritia, vt Iuonianæ virtutis immenſitate in compendium redacta,laudem illius,& æmularetur,et vinceret, qui ingentem, abſolutamque ſuis partibus effigiem in exiguo annuli vnione celauit? Scitis Iuoniani oris facundam, & Diuini Maieſtatem ſermonis in cauſis perorandis.Scitis arte inſtructum Diuina, et iuſtitiæ præſidio munitum, non vulgari prodigio effeciſſe, vt opulentorum auaritia,ſupra Leonum rabiem cruenta,non diſcerperet nudos,non proculcaret abiectos. At hæc quamuis ferream,Famæ vocem, & ora centena laſſauerint, Famam tamē ipſam,Iuonem,vnico tantum,non centenis oculis aſpexiſſe contendo. Vt ſtudium vindicandi à calamitatibus paupertatem, facilius poſſet Iuo profiteri, exiſtimabit fortaſſe neſcio quis,in eius ſinum,Orientis, Occidentiſque gazas, aureos Pactoli vortices,& totius ærarium naturæ diuinitus fuiſſe congeſtum. Nec inficior, Dei benificentia, Iuonis linguam, ſapentiam, manum,fuiſſe aurifodinas. At quis egentius illo, ſolo Deo, ſatis opulento ſui pectoris hoſpite, referto. Sciebat enim male prouiſum calamitatibus ingenti fortunæ commendatis:Difficille eſſē dominari, & quaſi neceſſarium ſeruire pecuniarum aceruis. Horret quippe innocentiam Pauperum ingens opulentia alimentum ſcelerum, & venia peccandi,ideoque liberalitatem etiam fugit, paupertati plerumque fœderatam

tam. Ijs ergo calcatis, vt se se litteris imbueret, apprimè necessarijs, inter forenses pauperum lites arbitrio veritatis, minorem Britanniam solum natale, Lutetia primo, postmodum Aurelia, studiorum emporijs mutauit. Haud ignarus sapientiæ cupiditatem, non sordidè, vt auaritia, non crudeliter, vt bellũ, sed honestissimè peregrinari. Quantum vero in illis profecerit, nouistis eius fulmen experti, iustitiæ hostes, & terremotum, transfugæ veritatis. Contra quosdã dũ pauperũ causas perorat, nullus vestrum causa non cecidit, æquissimi Oratoris impulsu. An non Iuoniana mens facillimè omni instrueretur sapiẽtia, dum, non vt Iuuenile falleret otium, non superbiæ, nec opibus, sed veritati, Deoque lucubrabat; ideoque, acerrimæ mentis perspicacitate, mirum in modum animum erudiuit, concretamque humanæ ignorantiæ nebulam dissipauit. Omni instructus litreratura, Iuri dicundo in forensi bello præponitur. At, cum sibi morari videretur in lubrico, abdicata iudiciaria potestate, ita se se leuandis miserorum calamitatibus dedit, vt in aliena, siue diuitiarum, siue valetudinis iactura, in ipsius quoque latus vis procellarũ videretur ingruere. Nec sibi æqualiter indulgebat exquisitis. n. pœnarũ instrumẽtis, se se assiduè cruciabat. Barbarũ credidisses: ferro etenim, quasi ad monstri cuiuspiam lanienam armatus, sonanti catenarum verberè artus innocentes lacerauit; & superinduto corpori in tegumento, non setis armato, sed iaculis, atrocibus se se vallauerat supplicijs. Adeò in se cruentus, in miseros, quam humanus? Publicus egentium tutor, viduarumque curator, quoscumque odium fortunæ excusserat, sinu fouebat in suo. Quid igitur mirum, si vbique adorabatur, vt acerbæ funus fortunæ, & interitus calamitatum. Nec auara manu, à nobis Iuonianæ modestiæ reddendæ sunt gratiæ; quod, cum procumbentes in genua Populorum cateruæ, eius beneficentiam ara, sacrisque colendã existimarent, se, virtutemque suam tamquam scelus horrebat; quasi Diuinis illis obsequijs veri numinis cultus videretur periclitari. Venia tamen danda pijs religionis reis. Quid enim te, quasi factitium, & familiare Numen non adorarent, qui vigore animi, maiestate vultus, suada ser-

monis

monis,beneficentia manus,nescio? quid immortale sonabas. Ad quem,quasi ad ambulantem Diuinitatis aram, numquam præcibus frustra effusis, spes suas vniuersi reparabant, pro quibus vota conceperant. Sed tantum absfuit à Superum iniuria Populorum præstita Iuoni veneratio, vt familiarissima,& Cęlitum,& Numinis ipsius cõsuetudine vteretur. Ipsum Deum non semel traxit è Cælo,nec semel inter pannosos laruata Diuinitas Iuonem contubernio consecrauit. Immo aliquando,sub forma stipem rogãtis,pileo ab Iuone donata, mox eidem,nouo prodigio restituit;cum prius apud Cælites iactasset,se augustius incedere Iuonis pileo, quam Sole coronatam. At nostro,heu nimium, malo,beneficum hunc Diuinitatis æmulatorem Cælum nobis inuidit. Ideoque,lentæ tabis rapina,mortalibus sublatũ,suæ adscripsit immortalitati. Quod si Rogerius Siciliæ Rex Victorias suas celari iussit in gladio,quo plures Prouincias,& Populos suæ ditioni subiecerat: vt ensis ille, quasi ferreus ideoque duraturus Orator,funesta eloquẽtia,& laudatione Heroe digna gladiatore, posteritatis admirationi narraret, se millies fuisse in Principum viscera, sæpius in insontum iugulum adactum, & semper populorum cædibus,& pinguem, & obtusum. Monumentum negabitur ære perennius beneficentissimæ Iuonis linguæ, & manui? Quibus,non insepultis cadaueribus arua tumulauit, vt ille bellator, sed non paucos ex lethi faucibus restituit saluti. Et quas non laudes ille in se cumulauit, qui,dignitatibus abdicatis,quasi timeret à fęlicitate amari, ab ipsius vlnis sponte exiliuit? Helluo dolorum se se peregrinis cruciatibus sæpe torsit ad necem, suique laniena Deo; quasi Lydio lapide, se se probauit. Qui tãta beneficentia spes inopũ vicit,vt Diuino sæpè prodigio, summam inopiam cum summa frugũ largitione fœderauerit. (Adeo est absque fũdo miserationis ærarium) Qui tandem, alter Orbis Terrarum Nilus,postquam sine ripis vbiq;regnauit, fessam errando liberalitatem Diuino pelago immisit,relicta cineribus suis,adhuc in miseros prodigiosis,posthuma liberalitate.



LAVS DEO.